

HENRICVS ANGLIÆ REX IOANNI
LODOVICO VIVI S.



Persistentissime vir, & amice noster plurimum dilecte, Augustinus de Civitate dei tuis illustratus commentarijs simul atque ad manus nostras peruenit, nobis gratus effecit vt proflus dubitemus, cui in primis gratulari debeamus, tibi ne, cuius tam erudito labore tam egregium opus absolutum est, an Augustino, qui diu mutilus, & obscurus ex densissimis tandem tenebris luci datus, & pristinae restitutus est integritati, an toti posteritati, cui isti tui commentarij ingenti erunt fructui. Quod autem hos commentarios nostro nomini dicare tibi libuerit, non possumus non habere & agere gratias ingentes, ob id potissimum, quod animus hac in re tuus non vulgarem erga nos amorem ac obsequentiam visus est ostendisse. Quamobrem tibi persuasum esse volumus, nostrum fauorem atque studium, quacunque oblata occasione, qua ad tuum commodum spectare potest, rebus tuis nunquam defuturum. Et feliciter vale, ex Regia nostra Grenuici, Die. XXIIII. Ianuarij. M. D. XXIII.